

triarcharum, Prophetarum, Apostolorum, omniumque, qui tibi a Saeculo placuerunt: ubi non est tristitia, dolor, gemitus, immo Locus piorum sedatus, & pariter quieta terra rectorum, eorumque, qui in ea vident Gloriam Christi tui. En quid apud veteres significarit Locus piorum post mortem. Ibi vident Iusti Gloriam Christi. Quid plura petis?

Nobile Martyrii certamen consummavit S. Ignatius, celeberrimus Episc. Antioch. Ann. Christi cxvi. Ex ejus Epistolis dno verba excerpit Burnetus, inquit, ab eo appellari *τότον τότον*, Locum proprium, ad quem, vita pro Christo data, se e Mundo abiturum confidebat. Quam ex Epistola Burnetus hæc haulerit, nescio, cur minime nos monuerit. Equidem nihil tale mihi in germanis ejus Literis occurrit. Utcumque sit, nisi fanes adhibeat, nil inde Burnetus exsculpet. *Proprius Locus* Animarum pro Christo Sanguinem fundentium, ut nuper vidimus, est *debitus Glorie Locus* apud Deum. Aequius tamen ille fecisset, si pro dubiis verbis illa excerpisset, quæ præsentis quaestioni lucem suppeditare pæne meridianam possunt. Mecum adeat Lector gloriosi Martyris Epistolam ad Romanos, ad quos victus deducebatur. Ibi eos enixe rogat, ne Martyrio suo, quod præ omnibus cupit, impedimentum adferant. *Obsecro vos*, inquit, *ne intempto a benevolentia erga me sitis. Sinite me ferarum escam fieri, per quas licet Deum Adipisci.* Perenne hoc erat invidi Martyris desiderium: certâ hæc illius spes. Ita & ad Magnesianos scripserat: *Memores estote mei in orationibus vestris* (*Ἦτε οὐκ ἐπιθυμῶ*) *ut Deum Asséquar.* Idem repetit scribens ad Trallanos: *Expectet vos meus Spiritus; non modo nunc* (*Ἦτε οὐκ ἐπιθυμῶ*) *sed & ubi Deum nactus fuero. Quid aliud est* *οὐκ ἐπιθυμῶ*, nisi invenire, asséquì, nancisci, attingere Deum, eoque potiri? Num per Gratiam, num per Caritatem, ac spiritalia vota? At hoc illi adhuc viventi obtigerat. Ergo *οὐκ ἐπιθυμῶ*, *Adipisci Deum* nihil aliud heic est, nisi re post mortem tenere, quod S. Vir spe tantum in Mundo tenebat, ejusque Conspectu frui, illamque Facie ad Faciem intueri. Pergit dicere generosus Martyr in eadem Epist. ad Rom. cap. vi. *Nil me juvabunt fines Mundi, nec Regna hujus Saeculi. Melius est mihi emori propter Jesum Christum, quam imperare finibus terræ. Illum quæro, qui pro nobis mortuus est. Illum volo. Hoc ardore loquitur, atque omnia Regna terrarum contemnit, qui Cœlestic Regnum Dei, & Christi confortium se statim a morte consequuturum novit. Sinite me, subdit, purum Lumen haurire: Illuc perveniens, homo ero. In aliis testibus legitur *ἀσπῆρας οὐκ ἐπιθυμῶ*, *Hom. Dei ero.* At non alibi *Lux pura* spectanda, nisi in Cœlesti Hierosolyma, atque in Visione Dei. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem Facie ad Faciem*, prima ad Corinth. xiii. 12. Sed dic tu, beatissime Martyr, ubi puram hanc Lucem speres? Utique in conspectu misericordis Dei, atque in beatissimo Regno, ubi ille in sua gloria se Justis conspiciendum præbet. En dulcissima Ignatii verba: *Meus amor crucifixus est; & non est in me ignis amans aliquam aquam; sed vivens & loquens in me, intus mihi dicit**